



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Origines Benedictinae, Siue Illvstrivm Coenobiorvm Ord.
S. Benedicti, Nigrorvm Monachorvm, Per Italiam,
Hispaniam, Galliam, Germaniam, Poloniam, Belgium,
Britanniam, aliasque Prouincias. Exordia Ac ...**

Le Mire, Aubert

Coloniae Agrippinae, 1614

Arqvensis Propositura, à S. Bertini Abbatia dependens, milliari fere vno ab
Audomaropoli Artesiorum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11261

Lambertus de diuersis Cluniacensium monasterijs religiosos viros huc adduxit, & hic ordinē introduxit, an. Domini millesimo cētesimo primo. Quibus strictē & religiosē viuētibus residui Sichiēses, metu rigoris disciplinae, fuga lapsi per diuersa sparguntur. Nec ob hoc cessauit hic opus Dei. Nam nouo religionis feruore, plures huc affluerunt, ita vt in breui plusquā centum viginti fratres adessent.

Porro ius mitra & ceteris Pontificalibus ornamentis vtendi Gillebertus XLIX. Abbas Bertinensis impetrauit ab Alexandro Papa quarto, Pontificatus eius anno primo, teste eodem Iperio.

ARQVENSIS

Propositura, à S. Bertini Abbatia dependens, miliarium fere vno ab Audomaropoli Artesiorum.

Nobilissima huius cella institutio ac dotatio debetur beato Vualberto, Pontiuensi & Arquensi Comiti. Idoneum eius rei testem habeo Iperium, Bertiniani cœnobij Historiographum: * Hangericus vir illustris, maior Domus Theoderici Regis Burgundorum, filij Hildeberti, filij Sigeberti ex Brunehilde, vxorē habuit Leodegondam, de qua genuit sanctos Pharonem. Vualbertum, & * Anoaldum, & S. Pharam. Sanctus Pharo primò miles, inde clericus, deinde monachus in Resbaco, sub beato Agilo Abbate,

cogna-

An. 1107.

Cap. 17.

* Alias,
Hangericus.

* Alias,
Canoaldū

cognato suo, filio Agnoaldi, fratris Hauge-
rici prædicti, deinde Episcopus Meldensis est
effectus.

Sanctus canoaldus frater eius à puero
monachus in Luxouio sub patre Columbano,
postea fit Episcopus in Lugduno clauato.

Sancta Phara ab infantia virginitatem Deo
vovuit, in manu sancti Eustathij Luxouien-
sis Abbatis. Hæc in Sombris, prope Vvissantum,
monasteriolum ædificauerat, vbi aliquan-
tis per Domino seruiens morabatur, sed inde
ad calam monasterium transijt, vbi sub habi-
tu regulari Domino finetenus inseruiuit.

B. VValbar-
tine.

* Fortè
Teruensis
seu Terua-
nensis.

Sanctus autem Vvalbertus successione pa-
terna Pontiuensis, * Ternensis, & Arcken-
sis Comes, vxorem habuit sanctam Regentru-
dam: de qua filium genuit, quem beatus Pa-
ter Bertinus de sacro fonte leuans; Bertinum
nominauit. Ex vtrisque pater confessionum,
verbum vitæ sapius proponebat. Quare
Vvalbertus ad beatum Bertinum sæpè veni-
ebat audire verbum Dei, & benedictionem
de eius manu suscipere.

Quadam verò die Vvalbertus ad basilicam
sanctæ Dei genetricis oraturus accessit; sed
in salutato beato Bertino recedens de equo
lapsus, fracto crure, membrisque collisis à
beato Bertino aliquid sua manu benedictum,
per celerem nuncium exposcit. Sanctus au-
tem Bertinus direxit ei signatum sua manu
vinum: quo gustato sospes gratias referens,
magnam hæreditatis suæ partem Deo & be-

ato

ato obtulit. Bertino, Arckensem scilicet vil-
lam & comitatum, cum omnibus appendi-
cijseius. Et sæculo renuntians hinc primùm
sub beato Bertino, dein in *Luxouio mo-
nachus est effectus, sub beato Eustathio. Post
quem ipse Vualbertus immediatè est in Ab-
batem assumptus, & demùm, vt aliqui refe-
runt, post beatum Pharonem fratrem suum
est Meldensis Episcopus sublimatus.

Filius verò eius sanctus Bertinus, hinc in Si-
thiu monasterio, sub beato patre Bertino
professus, religiosam vitam sancto sine con-
cludens, ad Dominum gloriosè migravit.
Cuius corpus cum corpore beati Erkenbo-
donis & aliorum Sanctorum, supra maius al-
tare, in Ecclesia Canoniorum S. Audomari,
repositum veneratur. *Hactenus Iperius.*

*De sanctitate illustribus cœnobij Sithiensis Ab-
batibus ac monachis, Bertino primo Abbate ac
fundatore, Momolino Episcopo Nouiomensi,
Ebertramno Abbate, Vualberto Comite & Ab-
bate Luxouienfi, Vuinoco item Abbate,
eiusque tribus fratribus, Kadanoco, Inge-
noco, Madoco, Erkenbodone & Hunfrido
Morinorum Episcopis, Fulcone Remensi Archi-
episcopo, Grimbaldo Abbate Vuintoniensi, Ios-
sione Roseo, Bernardo Pœnitente alijs-
que, præter Iperium, fusè tractat
Molanus in Natalibus San-
ctorum Belgij.*

(.·.)

S. Petri

* Luxouiti
Luxull.
opidum est
Comitatus
Burgundia
in quo hodi-
quæ exstat
Cœnobium
monachorū
Ord. Bene.